

Franckesche Stiftungen zu Halle

Schediasma exhibens Classem Scholarvm In Monasteriis Dvcatvs Brvnsvicensis Primam quæ est in Valle B. Mariæ quo Svmme Venerabilem Dn. Abbatem Priorem ...

Ebeling, Johann

Helmstadii, Anno MDCCIII.

VD18 90817435

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200998



rum hodie nemini videbitur, venerandam antiquitatem monasteria, ut ab usu suo feliciter illa commendari possent, plurimis ornasse beneficiis. Ecquis enim sanctitate, vultu & gestibus adumbrata, religione speciosa, inanibusque meritis, quæ monachi jactabant, tum temporis non caperetur, & ad liberalitatem, cujus quæstus, & in hac, & in æterna vita, credebatur multo uberrimus, excitaretur? Ita est; sanctimoniam opinio, semel hominum animis instillata, altissimas quasdam radices agit, magnamque eis potentiam & auctoritatem plerumque conciliat. Verum in tenebris quidem hætenus saltaverant, & flagitia sua monasticam agentes vitam occultari summopere contenderant; fieri tamen non potuit, quin erumperet tandem, quod diu latuerat. Nimirum manifeste apparebat, verissimum esse illud: *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.* Obtegenda igitur erant diuturna scelera, & summa cum indutria extingvenda, quod factum est, postquam B. Lutheri imprimis operâ antiqua cænobiorum facies recolit cœpit curatius, & quæ invaluerat peccandi consuetudo, pessimarum cupiditatum genitrix, sublata est. Cænobia enim olim nihil aliud fuisse, quam scholas christianas, palæstras doctrinæ probatæque vitæ, in

quibus pueri & adolescentes educati, & bonis literis fa-
 luberrimisque exercitiis informarentur, ex pluribus
 constat historicis. O lamentabilis calastrophe, ubi mo-
 nasteria inertium, indoctorum & occulte flagitiosorum
 homunculorum latibula postmodum reperta sunt! Sed
 missa hæc facio; Meliora quippe monasteriorum in
 ducatu Brunsvicensi fata inspicere, & scholarum mona-
 sticorum classem primam, quæ est in hac Valle B. Maria
 paucis, ex documentis archivo nostro insertis diducere,
 in animum induxi. Optimis auspiciis gesta sunt, quæ
 pro cœnobiorum salute gessit celsissimus princeps Julius,
 b. m. postquam monasteria ducatus sui pietatis & bona-
 rum artium studiis consecravit, constitutionibus scho-
 lasticis anno 1569. id comprobantibus. Egregium illa-
 rum initium hoc est: Damit die Ministeria ecclesiastica
 für und für desto stattlicher besetzt und versehen werden mö-
 gen/ auch wir an uns dieselben zu erhalten nichts erwinden
 lassen/ so haben wir in Krafft unsers tragenden von Gott
 befohlenem Wintes unsers Fürstenthums zugethane præ-
 laturen Klöster/ der Augspurgischen Confession gemäß/ re-
 formiren/ und zu Schulen/ auch Erziehung der Studiosen,
 welche allein ihr/ der Klöster/ uhrsprünglichen Herkommen
 nach/ in Lehr- und Predigt-Pleniptern zu jederzeit zugebrau-
 chen seyn mögen/ anrichten lassen. Tum peculiare in iis
 scholis classes informari aut constitui debere d. l. osten-
 ditur; eas autem constitutas esse, jam dicetur. Johan-
 nes Creccelius in L. de origine & fundatione monastico-
 rum ordinum c. 7. de divo hoc principe ita differit: Non
 minorem laudem (quam Elector Saxonie Johannes Fri-
 dericus) illustrissimus Princeps Julius Dux Brunsvicensis
 ac Lüneburgensis, felicitis recordationis, meritus est,
 quod initio sue gubernationis, anno 1569. nihil prius pia
 refor-

reformatione sui Principatus, ecclesiarum & monasteriorum ab idolomaniis Pontificiis ad Orthodoxam religionem in votis habuerit, quod Cœnobia ad Mariæ Vallem, Riddagshusen, Ammelunsborn, Ringelheim, Reiffenberg, & Grawenhoff, suæ celsitudinis subditorum liberis ad officinas & palestras studiorum liberalium delegerit, ut ibidem ex monasteriorum schola in scholam, quasi per classes, tam diu mittantur, donec uberriorem ingenii culturam percipiant, ibique de victu ipsis honeste prospiciatur, ut tandem in Academia Julia, quæ est in oppido Helmsteto solidam Theologiæ & artium cognitionem hauriant, quam ipse Princeps cum tribus suis filiis Principibus, D. Heinrico Julio, postulato Episcopo Halberstadensi, D. meo Clementissimo, D. Philippo Sigismundo, D. Joachimo Carolo frequentissimo comitatu, & splendida pompa, 15. Octobr. anno 1576. a Casarea majestate impetratis privilegiis ipsius sumtibus fundavit, cujus perpetuus Rector ipsius celsitudinis primogenitus filius, D. Henricus Julius, singulari solennitate renunciatus, ejusque clementiæ principali, ac simul toti academiæ Julici diploma sigillorum, literæ donationis, & statuta publice tradita sunt. Hæc ille. Abbas monasterii illo tempore erat Casparus Schösgen, qui vidit & indoluit se tristi errore teneri, &, ut Meibomius in Chronico Marienthalsensi refert, religioni repurgatæ nomen primus abbatum monasterii sui dedit. Hic Schösgius, pergit Meibomius d. l. cum reformatione monasterii scholæ etiam novæ institutionem moliri cœpit. Noverat enim monasteria olim in hunc finem condita, ut essent scholæ pietatis, precum omnique doctrinæ & eruditionis. Noverat, mentem hanc esse Julii Ducis Brunsvicensis, patris patriæ, cui refragari fas non esset. Instituit igitur scholam, ac

pietatem bonasque literas in ea doceri iussit, multosque postmodum ex ipsa prodire viros eruditos, & ipse vidit & plures viderunt successores, ac ditio universa. Anno 1569. d. 23. Maji, laudatissimus Princeps Julius literas ad Abbatem hunc Casparum dedit, quibus nomen sua manu addidit. Initium earum hoc est: Von Gottes Gnaden Julius Herzog zu Braunschweig und Lüneburg/ unser Günst zuvor/ Würdiger/ Lieber/ Andächtiger. Nachdem ihr euch hiebevorn auff unser gnädiges Begehren demütiglich erbothen/ esliche gute Knaben/ so fundamenteles, mit guten Ingeniis versehen/ in unser Kloster Marienthal aufzunehmen/ und dieselbige durch den dazu verordneten Præceptorem in guten Künsten/ auch der Theorgi weiter instituiren/ und unterwerffen zu lassen/ als thun wir euch einliegend ein Verzeichniß der Knaben/ so gen Marienthal verordnet/ hiemit gnädiglich zuschicken/ damit sie hernach desto baß der Kirchen und Schulen unsers Fürstenthums um gebührliche Belohnung mögen dienen. Anno igitur citato schola hæc monastica est aperta. Ut autem concinno ordine stabilirentur & gauderent scholæ Monasticæ hujus ducatus, certæ classes fuerunt sancitæ, quarum secunda hue fuit translata. Consiliarii enim electi, & ad monasticas scholas probe erigendas & instruendas constituti, Abbati Casparo è Riddagshusano monasterio literas miserunt, inter alia indicantes: Wenn wir denn die Austheilung und Translation der Knaben also vorgenommen und angestiftet/ daß sie in gewisse Classes nach eines jeden Geschicklichkeit bey denen Klöstern vertheilet/ und dann Secunda Classis zu euch gen Marienthal verwiesen worden/ so überschicken wir euch hiemit/ der darinn verordnete Knaben und lectionen ein Verzeichniß. Sic humaniora studia heic colebantur,

tur, prosperisque, quos Deus dabat successibus, Vallis exultabat, & passo famæ itinere, sublimior ibat. Anno 1575. classẽ nostram secundam Riddagshusanum monasterium excepit, permutatione facta, primaque classe huic Valli addicta. Docent nos illud literæ, quas Consiliarii ecclesiastici *Helmstadii* d. 4. Novembr. anni 1575. ad *Abbatem Casparum* scripserant: Unser freundlich Dienst zuvorn/ Ehrwürdiger und andächtiger besonder gônstiger Herr und Freund: Ob inliegender Verzeichniß habt ihr zu vernehmen/ was und wie viel Knaben wir aus der Rittershäuserischen Schulen (weil izo aus allerhand bewegenden Ursachen/ und fürnehmlichen darum/ daß die primari zunächst der Universität und Julius Schulen allhier zu *Helmstädt* seyn sollen/ prima classis von da hat müssen weggenommen/ und zu euch nach *Marienthal* transferiret werden) dem jüngst gehaltenem Examine nach/ weiter in die izige primam classẽ zu euch promoviret/ und dargegen von denen Secundanis wieder von euch gegen *Rittershausen* genommen haben/ werdet derowegen zu ehester Gelegenheit die Verschaffung thun/ damit diejenigen/ so noch zur Zeit nicht höher promoviret wieder nach *Rittershausen*/ als in izigen Classẽ secundam, gebracht/ und dagegen die andern auffß eheste zu euch abgehølet werden. Inde simul, uti ex aliis quoque chartis, patet, curam scholarum monasticarum Consiliariis ecclesiasticis demandatam fuisse, ut nempe quotannis curiosius inspicerent atque examinarent studia & actiones alumnorum, eosque pro ratione profectuum juvarent atque ornarent. Anno 1585. d. 8. Augusti literæ, ex Consistorio, quod *Helmstadii* erat, Abbati *Casparo* allatæ voluerunt, ut VI. alumni è schola Riddagshusana in hanc Mariæ Vallengem, utpote classẽ primam, intro-

introducerentur. Singulis ferme annis ejusmodi promotionem susceptam esse, observavi ex scriptis, quæ supersunt. Cum hoc modo studiis vigilarent severis Mariæ Vallenses alumni, institutorum utilium tuendorum causa serenissimus princeps *Henricus Julius*, tribus professoribus ætate sua celeberrimis in Academia Julia *D. Henrico Boëthio*, *D. Joanni Caselio*, & *M. Cornelio Martini* d. 20. Febr. 1601, clementissime mandavit, ut examinibus juventutis in scholis monasticis interessent, id quod abbati *Petro Gibelio* per literas indicarunt. Vacarunt igitur examinibus annuis, & quoscunque alumnos in iis exercitatos & versatos exercitiis, quæ Julia requirebat, heic deprehenderant, eos svavitatis musarum academicarum diutius expertes esse noluerunt, ex aliis monasteriis aliis, quos laudabilis studiorum ratio commendabat, in ipsorum locum succedentibus. Heic notasse licebit ex Ducali Consistorio (cui inspectores scholarum methodum ac statum monasticorum studiorum aperiebant) per multa adhuc rescripta ab anno MDC. usque ad annum MDCXXIV. exstare, ex quibus cognoscimus, alumnos ex *Riddagsbusana*, *Amlunxbornensi*, *Reiffenbergensi*, *Michaelsteinensi* schola in hanc Mariæ-Vallensem, classem superiorem, admitti debuisse & admissos esse. Rectores qui exstiterint intra hoc spatium, ignoro, quorum mentio fit in chartis, quas vidi, hi sunt: *Petrus Cossenius*, *Conradus Drosemeier*, *M. Henricus Drevelerus*, *M. Conradus Steinichius*, *M. Nicolaus Rolmannus*, *M. Joannes Struvius*. Anno 1621. *M. Rolmannus Nienhusium* in ducatu Lauenburgico vocatus, ibique concionator aulicus & Superintendens specialis constitutus est. Longius hoc modo discendo exercendoque in dies procedebant alumni, & pluribus celebritate famæ
de

de studiis cultis vallis innotescebat. *B. Christoph. Schraderus* in appendice Chron. Marienth. nitidam scholæ hujus faciem depingit, abbate Johanne Zunftio, qui anno MDCXI. electus octo annis monasterio profuit & præfuit. *Accepimus*, inquit *Schraderus*, *virum fuisse insigni & erga Deum pietate & benignitate erga proximum, qui clavo cænobii regundo admotus, in magno negotio habuerit, ecclesiastica pariter & æconomica religiosè atque fideliter administrare. Alebantur in monasterio duodocim plurimum adolescentes, qui ut non tantum demensum acciperent, sed & pensum recte suum conficerent, atque in literis & bonarum artium rudimentis, sub informatore debitos facerent progressus, Abbas serio allaborabat. Accedebat justa morum censura, per quam, lascivia omni & petulantia summotæ, vitæ integritas & honestas commendabantur. Ut autem de ingeniis & doctrina alumnorum eo certius constaret, invitabantur ex Academia Julia quotannis terni profectores, qui profectus singulorum explorarent, & num ex cœtu nonnulli Academiæ auditoriis essent maturi, decernerent. Pristinum hunc ordinem & nitorem maximi fecit Zunftii successor *Johannes ab Usler*, & ea scholæ tribuit, ut plura à parente proficisci vix possent. Ut classis primæ autoritatem heic defenderet & retineret, neminem temere in alumnorum numerum recepit, qui profectus ad lectiones hujus scholæ capiendas necessarios non esset consecutus. Hoc commonstrat schedula, qua ipse anno 1619. d. 26. Julii hoc conceperat responsum: *Auff Heinrichen Krafft's beschehenes Suchen/ seinen Sohn in ein Kloster zu befördern/ geben wir diesen Bescheid/ daß die Stipendiaten allhie des profectus in Studiis seyn müssen/ daß sie können ad Academies vel**

B

Univer-

Universitates verschickt werden. Non alienum erit à proposito meo, si literas subjiciam, quibus ad examen invitavit D. *Heinricum Boëtium*, Theologiæ, M. *Cornelium Martini*, Metaphysicæ & Logicæ, & M. *Rudolphum Diepholdium*, Græcæ Lingvæ Professores in Academia Julia:

Salutem à salutis fonte !

Tempus jam jam instat, Reverendi, Clarissimi, Doctissimi-
nique viri, amici optimi, quo in hoc nobis demandato illustri S. *Mariæ Vallis* Cænobio quotannis cum Illustrissimi
Celsissimi & Clementissimi nostri Principis ac Domini
Domini *Fridrich Hülderici*, Ducis *Brunsvicensis* ac *Lüneburgensis* &c. alumni, in quorum numerum quinque
adolescentes, nempe

Daniel Sincenberg, *Northheimensis*.

Burchardus Hillen, *Gittelenensis*.

Andreas Siburgius, *Dassiliensis*.

Laurentius Reeman, *Hardeßiensis*.

Ludolfus Ludovici, *Calenbergensis*.

ante triennium, ut audimus, sunt adoptati, examen so-
let institui; eo vero finito, illi quorum mediocris profe-
ctus à Dominis Professoribus & Examinatoribus depre-
hensus fuerit, ad uberiores ingenii cultum capeßendum
in inclutam Academiam Juliam mitti consueverunt.

Cum autem prædicti Stipendiarii per hosce, ut fe-
runt, annos prædictos, Musarum *Mariathalensium* ca-
stra secuti, in quibus sub vexillo *Apollinis* militantes, ta-
lem prædam, ut ajunt, sint adepti, ut & tempus, & ætas,
& studiorum ratio altioris *Athenæi* Musas sectari ipsos
com-

compellant & hortentur, submisſe etiam atque etiam nos
rogarunt, ut providere vellemus, quo Domini examina-
tores huc quamprimum invitatione prævia vocentur,
ipſorum competitorum in literis progreſſum experian-
tur, eundemque Dominis Conſiſtorialibus dicasterii Eccle-
ſiaſtici, qui ſunt Gvelferbyti, literis ſignificare velint,
ut eo citius in diu optatum locum migrare, in eoque quod
cœperunt, continuare cum fructu poſſint. Huic petiti-
oni locum haud invitatus ſum fuiſſe dandum, cui
ſi & veſtræ Humanitates acquieſcere volunt, ut maxime
poſſunt, officium nobis præſtabunt gratiſſimum, imprimis
vero, ſi proxime ſubſequenti ſeptimana vel hebdoma-
de poſt Dominicam Latare primo quoque die huic actui
queat imponi ſinis, quem proſperrimum & nobis, & vo-
bis & ſtudioſis prædictis ex animo precamur. Reſpon-
ſum exſpectamus, nosque omnes in clientelam & prote-
ctionem Sanctiſſimæ & individuae Trinitatis in hiſce tur-
bulentiſſimis que temporibus humiliter & devote com-
mendamus. Dat. in Valle S. Mariæ in vigilia annuncia-
tionis divæ virginis ~~Febr.~~ quod feſtum, ut immobile quo-
tannis in 25. diem menſis Martii incidit, anno reparatæ
ſalutis MDCXX. feſtinante calamo
veſter

JOHANNES von Uſler.

Mariæ-Vallis itaque alumnis jucundiſſima fuit, eo-
que jucundior, quo propriiores in ea acceſſerunt ad
ſpem felicitatis in academia Julia percipiendæ; niſi ea
impatientiſſus caruerint, quod in ſcholis, tanquam ma-
lum comuniſſimum, obſervatur. Quadrant huc ver-
ba notatu digniſſima B. M. Frid. Hildebrandi diſc. LX.

B 2

de

de Icaro Academico: Quot in academiis hodie reperias
Icaros, qui, cum scholæ disciplinam, pulverem, laborem
pertesi, ante diem, nec tum solidis in lingvis artibusque,
ad humanitatem quæ pertinent, jactis fundamentis,
scholastico evolarint nido, non habent, cui sublimioris
illud doctrinæ fastigium instruant, ideoque cum molles
planeque cereas tam levis brevisque scientiæ alas acade-
micæ eruditionis soli, ardentissimos tam late spargenti
radios, admovent propius, stultæ persuasionis penna de-
fluunt, ipsique in pelagus contemptus, infamiæ, sæpe &
inopiæ prolabuntur non sine gravi parentum querela,
spe sua se frustratos esse serio, sed sero nimis dolentium?
Illa autem evolandi cupiditas heic feliciter exstingui &
comprimi potuit, saluberrimo candidi examinis ordi-
ne confirmato, quo etiam factum est, ut, nisi impurif-
simo & corrupto plane animo fuerint alumni, pluri-
mum negotii in studiis haberent, gloriæ ac promotionis
dulcedine commoti. Eundem semper & fixum eorum
numerum fuisse, non apparet, cum modo duodecim,
modo decem, modo pauciores exstitisse beneficiarios
ex scriptis colligo. Fideliter autem fuere informati, &
plures non spernenda in literarum studiis incrementa
cepere, uti carmina latina & græca, orationes item
elegantiores, quæ supersunt clarius testantur. Atque
hac ratione ad annum usque MDCXXV. cum hac
prima scholarum monasticarum classe actum præclare
fuit. Bello autem Germanico atrocissimo exardescen-
te, quod totam propemodum Europam vexavit, inque
pluribus regionibus omnia ad exitium & vastitatem vo-
cavit, Brunsvicensis etiam terra horrido illo armorum
strepitu vehementer concussa fuit. Quis illo tempore,
crescente nocendi cupiditate & ingravescente ulciscendi crude-

crudelitate, aliquam scholarum & sacrarum ædium salutem speraret? Defloruit igitur tanto belli malo, & fatali patriæ calamitate scholæ nostræ dignitas, donec, depositis belli studiis, anno 1655. gloriosissimæ memoriæ princeps *Augustus*, Dux Br. & Lün. constitutione monastica clementissime decerneret, ut in Mariæ-Vallensi cœnobio IV. pauperes alerentur pueri, qui una cum liberis ex pago *Barutse* informari deberent. Eadem constitutione pluribus ducatus hujus monasteriis IV. pueri alendi, iique simul cum liberis ex pago, qui monasterio cuique vicinus est, erudiendi assignati & dicati sunt. Nec poterat lacera hæc & labans domini domus in turbulentissimo rerum statu statim ita refici & instaurari, ut antiquum decus sibi rursus acquireret.

*Sed mora dat vires: teneras mora percoquit
uvæ,*

Et validas segetes, quod fuit herba facit.

Lentis nempe ductibus illa plerumque absolvuntur, quorum memoriam speramus gratam fore. Paulatim ita Mariæ-Vallensis schola denuo surrexit & illustrata est, postquam emicarunt beata pacis tempora & superiores & Rectores aliquot curarunt, ut eam ab hominum oblivione & silentio vindicarent. Inspectores etiam scholarum generales *ὡν ἐν αὐτοῖς* B. Christophorus Schraderus & D. Paulus Heigelius aliquam scholæ hujus sacrae vallis laudem addiderunt, fidissimis juventutem examinibus exercentes. Rectores post tricennale, quod dicunt, bellum schola habuit ab anno 1659.

M. JOHANNEM NICOLAVM KRAMERV,
M. STATIVM JOHANNEM BODENBURGIUM,
M. CHRISTIANVM Breithaupt/
JOHANNEM GEORGIVM SCHNEEMANN,
M. HENRICVM Schmidt /
LVDOLPHVM Wilsening/
JOHANNEM ANDREAM LEIBIVM,
MARTINVM GAI,
ANDREAM GERHARDVM HEITIVM,

Quorum aliqui adhuc vivunt, honoribus præmiisque amplis ornati. Conatibus omnium eorum, quibus scholæ salus curæ cordique fuit, justa accesserunt incrementa. Quod cum intelligerent serenissimi Principes ac Domini DNN. Rudolphus Augustus & Antonius Ulricus Duces Br. & Lüneb. Domini nostri clementissimi, numerum alumnorum nostrorum crescere, & in Valle hac B. Mariæ XII. ali ac sustentari ante quadriennium benignissime voluerunt. Non celebrabo jam laudes summe Venerabilis DN. Abbatis nostri & DN. Superintendentis, quippe nemini obscuras, quod nulli operæ, nullis difficultatibus & molestiis parcant, dummodo vetustæ claritatis honorem scholæ huic restituant, servant, augeant. Inde non negligitur statutum optimum, ne temere excipiat in alumnorum numerum hospes, profectibus, prima classe dignis, non instructus. Et cum occulta sua non statim expromant novitii alumni, ut veram de ingenio & moribus illorum sententiam ferre liceat, semestri tentamini illorum sacrum est. Quicumque intra hoc spatium id faciunt sedulo,

dulo, atque operam dant, ut diligentia & probitas eluceat, beneficio magno heic afficiuntur; qui autem socordia pronum otium conterunt, aut varii sceleris architecti cognoscuntur locum mutare coguntur, sic *fucos ignavum pecus à præsepibus arcent*. Iis ergo doctrinis, quibus juvenilis ætas in classibus primis scholarum illustrium impertiri solet, alumni erudiuntur. Quarum cum facile princeps sit exercitatio dicendi, quantum annorum series & profectuum ratio permittunt, in eadem discipuli nostri versantur, in præsentī ex iis

I. GVSTAVVS RVDOLPHVS NEVKIRCH, Uhrda-
Brunsvicensis.

II. JOHANNES CASPARVS CÖRBER, Helmsta-
diensis.

III. JOHANNES ERNESTVS BODENBURG, Mariæ-
bergensis.

IV. ERNESTVS FRIDERICVS AVSTVRG, Schö-
ningensis.

V. JACOBVS HEINRICVS REINECCIUS, Mega-
Mühlinga Anhaltinus.

qui causam hujus scriptionis præbuere, postquam more solenni, auctumnali examine celebrato, oratiunculas conscribere voluerunt. Arrisit autem ipsis materia, quam acta publica hætenus suppeditarunt, nempe *incolarum Sevensæ fata* admirati, eadem paulo penitus intueri opera præteritum duxerunt. Dispositiones tradidi, ut vires suas quisque tentare posset. *Primus* igitur narrationem motus Sevensensium instituet. *Secundus* nomine
Regis

Regis Galliarum Sevensibus abitum e regione sua
commendabit, oblato ipsis commeatu & salvo condu-
ctu ad oras usque Helveticas. *Tertius* Sevensium
causam orans, eos terram suam relinquere nec velle
nec posse nec debere dicet. *Quartus* accusabit eos
immemores officii subditorum, atque acri supplicio
coercendos esse proponet. *Quintus* eos excusabit,
motusque illorum justos pronuntiabit, cum pro Dei
gloria, conscientiae tranquillitate & religionis exer-
citio arma capeffiverint. Ut igitur, summe Vene-
rabilis DN. Præful, maximè Reverende DN. Superin-
tendens, & omnes candidi studiorum æstimatorum bene-
volas declamatoribus aures præbeatis, decenter etiam
atque etiam rogamus. Si precibus hisce annuendum
esse judicaveritis, cum tanti beneficii tum omnium ma-
gnorum erga nos meritorum memoriam nulla unquam
oblivio delebit P. P. in Valle B. Mariæ, d. XXIV.
Octobr. M DCC III.

